



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 83. Status Gallici, & hostilis exercitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

## §. LXXXIII.

Secul. XVI.

A. C. 1524.

*Status Gallici, & hostilis  
exercitus.*

Admissa hac arce longè munitissima, ac demum appropinquante hostili exercitu tandem Rex aperte cognovit, se a Cæsareis ad prælium provocatum iri, quapropter Trimollium cum septem armatorum millibus Mediolano evocavit, ibidemque nonnisi duo millia subductore Theodoro Trivultio reliquit. Ducebat primum Gallorum agmen Chabannius Marefcallus, junctis quoque Trimollii copiis, quarum castra a S. Lancfranci & S. Justinæ suburbiis usque ad vivarium Carthusianorum sese extendebant. Media acies, cui ipse Rex præerat, clausum Mirabeli saltum occupabat, postremum denique agmen, cui Alenfonii Dux imperabat, totum tractum intra eundem saltum & monasteria S. Pauli & S. Jacobi Papiam prope implebat, ac colliculis impositum liberissimo oculorum prospectu etiam longissime diffitos campos emetiri poterat. Ex adverso Lannoyus, Piscarius, & Bourbonius summo studio regios aggeres observabant, ut castri situm accurate explorarent, demum vero die vigesima prima Februarii habito belli Senatu de-

*Hyst. Eccles. Tom. XXXIV. L1 cre*

Sæc XVI.  
A.C. 1525. creverunt, totis copiis cum hoste Gallo contendendum, & quidem Natali Cæsaris die, quæ erat vigesima quarta ejusdem Mensis S. Matthiæ sacra; cuncta enim sibi prospera augurabantur illa die, quæ communis lætitiæ argumentum erat. Ergo die vigesima tertia delectu habito facile viginti peditum, & tria millia equitum præter octingentos cataphractos recensebant, quæ omnes copiæ recentes, ac omnino integræ erant, cum econtra Gallorum exercitus viribus ac laboribus exhaustus esset. Milites super arma sua induebant alba indusia, ut eo facilius hostem ab amico discernere possent. Dividebatur exercitus in septem agmina, quorum tria equitum & quatuor peditum millia erant, nequidem computatis Vasconibus.

## §. LXXXIV.

*Occasio ad Papiense prælium.*

*Guicc. lib. 15*  
*Mem. du*  
*Bellai l. 2.*  
*Pet. de Angl.*  
*ep. 815.*  
*Ant. de Vera*  
*l. cit pag 106*

Castra metabantur Cæsarei extra Papiense vivarium haud procul a Carthusianorum coenobio, ibique in muro noctu suffosso quinquaginta aut ferme sexaginta Orgyis latum aperiebant hiatus, per quem cum exercitu suo in finistrum regii agminis cornu irruerunt, ut Mirabeli saltum occuparent; inde enim ad